Morscii Martini: Inauguratio doctoralis, in qua potissimum de Lutheri doctoratu et Lutheranis doctoribus disseritur.

Crac. in off. Nicol. Lobii 1610.

INAVGVRATIO DOCTORALIS

REVERENDI ET CLARISSIMI DOMINI MARTINI MORESCII POLONI.

In qua

Potissimum de Lutheri Doctoratu, & Lutheranis Doctoribus disseritur.

CELEBRATA

IN CELEBERRIMA INGOLSTADIENSI ACADEMIA ANNO REDEMPTORIS, M. DC. IX. Kalendis Septembr. & IV. Nonas eiusdem Mensis.

Promotore

R. P. IACOBO GRETSERO SOCIETATIS IESV, SS. THEOLOGIÆ DOCTORE PROFESSORE, ET PRO TEMPORE COLLEGII THEOLOGICI DECANO.

CRACOVIÆ,

In officina, NICOLAI LOBII, Anno Domini, M. DC. X.

CONTEMNIT TVTA
PROCELLAS:

A. A. D. E.



O. B. G. P.

VTRIQVE PORTANS COMMERCIA MVNDO.

ILLVSTRISSIMO DOMINO, ET PATRI IN CHRISTO REVERENDISS:

D. ANDREÆ A BNIN OPALINSKI,

D. G. EPISCOPO POSNANIENSI, Domino clementissimo:

Martinus Morescius S. T. D. fęlicitatem.

CUm illustre C. V. nomen Rev^me^ Pręsul D. D. clementissime, mihi in exteris regionibus, ceu beneficum aliquod sydus pręluxisset: illius splendore ac dignitate insigne honoris mei ex studio Theologico collecti ornandum & illustrandum putaui. In quam mentem impulit me voluntas C. V. mihi antea in Thesibus nomini C. V. inscriptis, benignè acceptis, declarata, vt non solùm initia & quasi fundamenta honoris mei sub auspicijs C. V. iacta esse vellem, sed etiam totius negocij absolutionem Illustri nomini C. V. adscriberem. Quem enim alium Patronum ornamentorum meorum quęrerem, pręter C. V. cuius singularem beneuolentiam erga me meaq́; perspectam habui. aut cui studium meum ad amplificationem cultus diuini promptum offerrem, quam Episcopo meo, cuius Ecclesię vt aliquantula

tula opera mea vtilis esse posset, semper post meam ad sacra ministeria consecrationem, omni ope & contentione allaboraui. Testis est huius meę voluntatis Inauguratio mea, quam ideo C. V. offero, vt sub cuius Patrocinio Docturę in sacris literis honorem sum adeptus, ei quoque omnes ingenij & doctrinę alicuius meę fructus, quoscunque tenuitas mea proferet, consecrentur. Accipiet C. V. hanc deuoti animi significationem optimo animo, ac me qui semper in potestate C. V. esse volo patrocinio suo tuebitur. Deum Opt: Max: oro, velit diuturnitate & felicitate administrationis Ecclesię C. V. commissę, à Cel: V. omnes Prędecessores esse superatos.

PRÆFATIO PROMOTORIS IN VESPERTINAM DISPVTATIONEM KALEND: SEPTEMB: M. DC. IX.

COgitanti mihi, admodum *Reuerende & Magnifice Domine Rector, Illustres, atq; Generosi Domini Comites, & Barones, Patres Academici amplißimi, cæteriq; Auditores virtute, & doctrina ornatißimi*, quid huic hodiernæ, & cras, volente Deo, futuræ Doctorali celebritati præfationis loco præmitterem, occurrit illa quæstio; num Lutherus fuerit Doctor Theologiæ? Nam quid conuenientius huic nostro Doctoreo Actui, quàm sermo de Doctoribus? Quid aptiùs muneri meo, qui totum fermè otium, oleum, & operam; calamum, & stylum in controuersiis fidei consumo; quàm, vt loquar de Luthero, qui hac ætate omnium contentionum primus fons, & prima origo fuit. Disquiram igitur, non tantùm hodie, sed & crastina luce, num Lutherus fuerit Doctor Theologus.

Cogitabit fortè quis, me clara, imò solis radiis dilucidiora in dubium vocare, eâdemq; operâ quærere posse; num duo sint paria; tria, imparia? &, num sol meridie luceat. Quid enim notius? quid sermone omnium, præsertim Lutheranorum; & ipsius etiam Lutheri ore tritius? *quàm Doctor Luther; Doctor Martinus Lutherus*? Vix vllum Lutheri tractatulum inuenies, cui Doctoris titulus non præfigatur. Quid ergò opus, nunc demum post tot annos anxiè inquirere, num Lutherus fuerit Doctor?

Animis tamen, & auribus adeste, cœptisq; fauete, optimi Auditores; efficiam, vt intelligatis, me hoc argumentum temerè non suscepisse. Probabo hoc præloquio, & crastina oratione, Lutherum non fuisse Doctorem. Detraham corniculæ non Æsopicæ, sed Islebicæ alienas plumas, nomina & insignia Doctoralia; pileum,

zonam, annulum, epomidem: de cathedra Doctorali furcillis stramentitium Doctorem deturbabo; vel potius iampridem deturbatum demonstrabo. Nunc rem ipsam aggredior.

Statuit Lutherus in libro *de Reformatione Reipublicæ Christianæ ad nobilitatem Germanicam*, duplices Doctores Theologos. Alios, qui sint Doctores Sacræ Scripturæ, seu sacrarum literarum. Alios, qui sint Doctores *Sententiarij*, seu *Scholasticæ Theologiæ*. Lutherum prioris generis Doctorem non fuisse, manifestè probo ex citato libro Lutheri de Reformatione Reipublicæ. Doctor Sacræ Scripturæ nec fit, nec promouetur nisi à solo Spiritu sancto: hic solus est inaugurator, & huius Doctoratus largitor. Ita enim scribit ibidem Lutherus: *Doctores Artium, Medicinæ, Iuris, sententiarum, creari possunt à Papa, Imperatore, & Academiis. Doctorem verò Sacræ Scripturæ nemo facit, nisi Spiritus sanctus.* Sed Lutherus nunquam à Spiritu sancto creatus est Doctor Sacræ Scripturæ. Nec est igitur, neq; fuit Lutherus Doctor Sacræ Scripturæ. Nam, si Lutherus unquam à Spiritu sancto Doctor sacrarum literarum renunciatus est; dicat nobis, obsecro, locum huius promotionis; nominet annum, diem. Fortè illo die promotus est, quo Catharinam Borrham monialem incesto connubio sibi copulauit? Proferat testes, & testimonia. nam aliâs fidem non inueniet: imò, tanquam falsarius explodetur, & exsibilabitur. Etenim, qui se fingit Doctorem, cùm Doctor non sit, falsarius est, & pœna falsarii plectitur, vt post Bartolum docet Felinus in cap. Quoniam. extra de Magistris.

Deinde, quis promotioni huic interfuit? Quid vltro, citroq; actum & dictum? Quà specie Spiritus sanctus, tantus Promotor, aspectabilem sese exhibuit? Num, vt olim, sub schemate columbæ? Num ignis? Quando Doctorale epulum præbuit Lutherus? & quibus? Num vicem conuiuii huius subiit celeberrima illa merenda, cum Lutherus, vt in Colloquiis sympoſiacis Germanicis tit. *de Miscellaneis*, proditum legimus; vitrum trinode vastissimum, & capacissimum, in quo totus Catechismus depictus erat, singulis Merendistis, seu conuiuis propinauit; propinatumq; semper vno flatu exsiccauit, & ad fundum vsque exinaniuit? cui, cùm pari haustu Ioannes Agricola Islebius respondere deberet, primo statim conatu defecit, & vix tertiam Catechismi partem ebibere potuit.

Adhæc, si Lutherus non ab homine, sed à Spiritu sancto in Doctorem Sacræ Scripturæ promotus est, cur perpetim suis in Tomis pro-

mis prouocat ad illum Doctoratum, quem Vuittebergæ publica in schola à Carolstadio acceperat: non ad illum, quem nescio in quo angulo, nescio quo anno, & die à Spiritu sancto adeptus est? Cur priorem illum passim, tanquam legitimum vocationis suæ indicium producit: de hoc autem, qui à longè præstantiore promotore, quàm fuerit Carolstadius, profectus est, penitus silet, vt & alii Prædicantes Lutheri Laudatores, & encomiastæ?

Præterea, si solus sanctus Spiritus facit Doctores Sacræ Scripturę: Cur Prædicantes, Lutheri posteri, Doctores sacrarum literarum creant? An non quotannis Academiæ, Vuitebergensis, Lipsiensis, Tubingensis, tales Doctores in orbem extrudunt? Cur spiritui sancto suas partes præripiunt? Modestior hac in re fuisse videtur Lutherus; qui creauit & ordinauit duos Episcopos Lutheranos, Merseburgensem, & Naumburgensem: creauit etiam presbyteros, & Diaconos, sed Lutheranos. Doctorem, quem creauerit, nullum prorsus scio. Non sum planè hospes in Lutheri libris, & Actis: sed non memini me obseruare, vllum à Luthero Theologica laurea insignitum esse; cùm tamen gradus Academici antea à Luthero, & Philippo aboliti, aliquot annis ante Lutheri obitum instaurati, & denuò vsurpati fuerint. Quæ causa huius rei? Nam nullos fuisse, qui, Luthero ductore & promotore, lauream Doctoralem capessere cuperent, mihi non fit verisimile; cùm vel ructum Lutheri audisse, in parte beatitudinis ponerent. Num Lutherus religione absterritus falcem suam in Spiritus sancti messem immittere noluit, eiq; soli officium creandi Doctores Sacræ Scripturæ relinquendum duxit? Cur ergo non idem factum est à Lutheri symmystis & synergis?

Vide orationem tertiam Luthero turcicā R. P. Nicolai Serarij.

Denique Lutherus aut ante Doctoratum Vuitebergæ Anno M. D. XII. acceptum, à Spiritu sancto Doctor Sacræ Scripturæ creatus fuerat: aut postea. Si antè; iniuriosissimus fuit Lutherus in sanctum spiritum; quòd laurea eius contentus esse noluerit, & diuinæ illi coronæ, humanam postea superaddiderit. Quid dico humanam; imò Diabolicam: cùm, Luthero iudice, laurea Doctoralis ab Academiis conferri consueta, nihil sit aliud, quàm *character bestiæ Apocalypticæ*; & corona, qua locustæ ex puteo Tartareo ascendentes, redimitæ fuerunt. Si autem post Doctoratum à Carolstadio acceptum, Doctor Sacræ Scripturæ à Spiritu sancto creatus est, in periurium incurrit: quia, sub Carolstadio iurauit, se Gradum Docto-

Luth. lib. contra falso nominatum ordinem Episcoporum. Et, in lib. contra Catharinum.

Doctoralem alibi non resumpturum. Dicet fortè: Hoc iuramentum Academiæ Vuitebergensi præstitum, sibi à Spiritu sancto relaxatum esse. At nimis creduli iure censeamur; si huic assertioni absque vllo testimonio fidem commodemus. Si tamen vnquam cum Luthero dispensatum est, crediderim id factum eo die, quo à nexu, & vinculo monasticorum votorum ita exsolutus, & absolutus fuit; vt non qualemcunque fæminam, sed monialem sub specioso connubii titulo sibi incestandam esse duxerit. Fortè dicet; iuratum abs se de non resumendo eiusdem generis Doctoratu, non de alio, specie prorsus diuerso, qualis, quem sanctus Spiritus largitur. Sed Lutherus nondum ostendit, nec tam citò ostendet, Doctoratum Sacræ Scripturæ, & Doctoratum sententiarum, seu Scholasticæ Theologiæ, tanto discrimine secerni, quanto à Luthero distare finguntur.

Sed dispiciamus, quibus cælestis ille Promotor, Spiritus sanctus, cum promouet cæremoniis vtatur. Nullis, quia *sanctus Spiritus*, vt ait Lutherus, *non curat rubrum, aut puniceum pileum: &, si quid aliud est huiusmodi rituum.* Discedunt ergo à sancto spiritu Lutherani Promotores, qui Doctoribus suis pileos imponunt, & alias cæremonias Catholicis Academiis vsitatas vsurpant: vt sessionem in cathedra; traditionem libri, annuli, complexum & osculum. Cur hæc, & his similia adhibent, cùm non deceant Doctores sacræ scripturæ: sed, sententiarios: quos Papa, Imperator, & Academiæ progenerant.

Gloriatur non semel suis in tomis Lutherus suo Doctorali *parreto*, seu *pyrreto*, seu pileo Doctorali. At quo iure? Nam aut habuit pileum Doctoralem, aut non habuit. si habuit: non igitur à spiritu sancto Doctor creatus fuit, quia spiritus sanctus Candidatis suis, nec rubrum, nec puniceum, nec cæruleum, nec fuluum, nec flauum, nec nigrum, nec album pileum imponit, vt testatur ipse Lutherus. Si autem non habuit: qua fronte de hoc pileo sibi toties tam suauiter blanditus est? Sed, habuerit pileum Doctoralem: cum certè non habuit à spiritu sancto: quia iste non vtitur pileo: sed à Carolstadio, quando Lutherum adhuc Monachum Doctoratu scholastico, seu sententiario Vuitebergæ insigniuit: hunc tamen ipsum Doctoralem pileum amisit Lutherus, non tantum per degradationem, de qua suo loco; sed & per sponsionem quandam, seu promissionem donandi, & abs se abdicandi Doctoralis pilei; si fieret id, quod ipse putabat non posse vnquam fieri. Quod tamen

à pluri-

à pluribus, & prius factum fuerat; & postea sæpius factum est. Audite rem mirificam.

Reiecit Lutherus Epistolam S. Iacobi, & *stramineam* nominauit: etiam hac de causa, quòd, vt ipse somniabat, aduersa fronte Epistolis S. Pauli aduersaretur: vociferans, neminem vnquã fuisse, esse, vel fore tam peritum artificem, qui Iacobum cum Paulo conciliare posset. *Multi sudarunt*, inquit Lutherus, in Latin. Colloq. titulo, de nouo testamento; *in Epistola Iacobi, vt eam cum Paulo concordarent: sed minus feliciter. Sunt enim contraria: fides iustificat; fides non iustificat. Qui hæc rectè coniungere poterit, ei vittam meam*, hoc est, pileum Doctoralem, *imponam, & fatuum me nominari permittam.* Significantius hoc ipsum exprimitur in Colloquiis germanicis: **Dem will ich mein Paret auffsetzen / vnd will mich einen Narren schelten lassen.** O bone Luthere. *Omne promissum cadit in debitum.* Actum est de tuo pileo: & quod hinc sequitur, etiam de tuo Doctoratu. Nam in primis sancti Patres, nominatim S. Augustinus in Psalmum 31. Patres Concilii Tridentini, & omnes Catholici scriptores, facillimè & creberrimè ostenderunt, nullam penitus inter vtrumq; Apostolum esse asymphoniam, & antilogiam. Cedo igitur tuum Doctoralem pileum. Redde, quod ex promisso debes: quid restitas? quid tergiuersaris? Pileum tuum Catholicorum Doctorum capiti impone. Sed, satis scio; nullus erit ex sanctis Patribus, vel ex Orthodoxis scriptoribus, qui talis fauni & furciferi pileum suo capiti imponi permittat. Ergo Caluinistis redde promissum pileum. Nam & illis facillima est vtriusque Apostoli conciliatio: nulli enim facilius conciliantur, quàm qui non dissentiunt. Sed ægrè sinet Lutherus, vt pileus Doctoralis à suo capite ad capita sacramentaria migret. Redde igitur pileum tuum tuo successori, Lutherano Hunnio. Nam in Examine contra Illustrissimum Cardinalem Bellarminum disertè scribit, pronam & expeditam esse viam conciliandi cum Paulo Iacobum. Accipe ergo, mi Hunni, tui Lutheri Doctoralem pileum: Et hactenus nobis Lutherus Doctor fuerit. Ab hoc certè tempore stultus erit. Hanc enim legem ipsemet sibi dixit: hac conditione nobiscum pactus est. Tametsi, quomodo sponsione amissum Doctoralem pileum Hunnio tradet, cùm longè ante hanc promissionem pileum suum amiserit, degradatus à Leone X. Pontifice, & à Carolo V. Imperatore?

Vide defensionem Bellarminianã Tom. 1. lib. 1. c. 18.

Sed regredior ad Doctoratum sacræ scripturæ: à quo spiritus

ſanctus, ſi vera canit Lutherus, neminem repellit, neminem reiicit, ſiue ſit iuuenis, ſiue ſenex, ſiue laicus, ſiue ſacerdos; ſiue monachus, ſiue ſecularis, ſiue vir, ſiue mulier. *Vtinam digni eſſemus*, optat Optatiuus Lutherus, *quibus tales Doctores concedantur.* Itẽ nunc vos Canoniſtæ & Legiſtæ; & quærite; *Vtrum mulier poßit doctorari*: &, negatiue ad quæſtionem reſpondendo, ſpiritui ſancto vos opponite. Ecce ſpiritus ſanctus à Doctoratu fæminas non arcet, ſi non mentitur Lutherus: qui adeo liberalis eſt, vt propemodum aſinam Balaami ad iſtum Doctoratum euehat. Quanto minus igitur excludi debet arguta illa Argula de Staupfen, de qua plura dixi aliâs: & Catharina Cellia Argentinenſis, quæ integrum librum contra Ludouicum Rabum prædicantem Vlmenſem ſcripſit: Et Magdalena Heymairin, quæ edidit Epiſtolas Dominicales totius anni in Canticorum formam redactas, Norimbergæ anno Redemptoris 1569. excuſas: Et præ omnibus ipſa Catharina Borrha: quam Lutherus, tantus Doctor, nunquam ſibi iungi paſſus fuiſſet, niſi & illa Doctoratum ſacræ ſcripturæ à ſpiritu ſancto accepiſſet.

In Doctorali inauguratione Anno Chriſti 1606. habita, & typis excuſa.

Ite & vos mei Theologi, & Doctoribus veſtris triginta ætatis annos præſtituite; nec, niſi ſacris ordinibus initiatos admittite: Iuuenes, indoctos, ineptos; vniuerſim, omnes Laicos, etiam eruditiſſimos, à Docturæ gradu repellite. Non ita Lutheri ſpiritus: qui fores ad Doctoratum ſacræ ſcripturæ omnibus pandit; ſiue ſint adhuc implumes, & inueſtes, ſiue grandæui; ſiue ſacri, ſiue profani; ſiue viri, ſiue mulieres: imò, quod dictu mirum, & vix credibile, Lutherus, ne diabolos quidem ab hoc ſuo Doctoratu excluſit. Nã in Colloquiis ſympoſiacis Latinis, Titulo *de tentationibus* ita ſcribit. *Summi, & principales Diaboli nobis aduerſantur; quia ſunt* DOCTORES THEOLOGIÆ. *Turcæ, & Papiſtæ mediocres habent diabolos, non Theologos, ſed Iuriſtas.* Habemus ergò ex ſententia Lutheri, etiam graduatos diabolos, Theologos & Iuriſtas. Hos omitto, & Iuriſtis, præſertim verò Canoniſtis, examinandos committo. De illis quæro: num ſint Doctores Theologi ſcripturarii, an ſententiarii ſeu ſcholaſtici? Si prius: ergo diaboli illi à ſpiritu ſancto Doctores ſacræ ſcripturæ facti ſunt: quia ſacræ ſcripturæ Doctor fit à ſolo ſpiritu ſancto, vt vult Lutherus. At, dic quæſo, quando, & vbi hæc promotio peracta eſt. Si autem Diaboli illi, ſunt Doctores ſententiarij, ſeu ſcholaſtici, à Papa igitur, vel Imperatore, vel ab aliqua Academia creati ſunt: quandoquidem iſti ſententiarios Do-

ctores creant, vt ait Lutherus. At hîc iterum recurrit quæstio: quãdo, vbi, quomodo? Proferantur testes: producantur fide digna testimonia. Quæ Academia; quis Imperator, quis Papa, Diabolos summos, & primarios ad hunc Doctoralis dignitatis gradũ euexit?

Cùm igitur Doctoratus iste, quem finxit Lutherus, quando Anno Domini, *M. D. XX.* adhuc Anabaptistico paroxysmo & enthusiasmo agitabatur, penitus sit commentitius, & in fanatico hæresiarchæ cerebro procusus: sequitur, mendacium committi, quotiescunque aut Lutherus seipsum sacræ scripturæ Doctorem nominat; aut ab aliis talis vocitatur cum respectu ad prædictũ, quem ipse finxit, Doctoratũ, quia vt Luthero vera denominatio sumi nequit ab eo Doctoratus gradu, qui nec est, nec fuit, nec erit. Quanquam, vt Luthero aliquid largiar; haud diffiteor, Lutheranas sagas, quarum antea facta est mentio, & id genus alias, non in scripturæ, sed in malitiæ, & nequitiæ Doctorissas promotas fuisse; non à spiritu sancto, sed à spiritu, quem paulo ante Lutherus, nobis depinxit: non in gymnasio, aut Lyceo, sed in illo monte, quem Germani à fœno, vocant den Hewberg/ vel in assimili quopiam phrontisterio, ad quod barbigeris olidisque caballis inuectæ striges confluunt. Et hunc ipsum spiritum, non alium, Promotorem Lutherus ipse habuit, non ad scripturæ Doctoratum, sed ad scripturæ excidium & exitium.

Restat, vt indagemus, vtrum Lutherus fuerit promotus Doctor sententiarius, seu scholasticus. Et vt omnes intelligant, quàm liberaliter cum Luthero agã: concedo, eum Año salutis, *M. D. XII.* Vitebergæ ab Andrea Carolstadio sententiarium, & si vult, etiam sacræ scripturæ, Doctorem creatum esse. Non inuestigabo, vtrum Lutherus fuerit infamis, infamiaque præpeditus Doctoralis dignitatis non fuerit capax: Nam *infamis non potest doctorari*, inquit Speculator, idemque sentit Bartholus: licet in contrariam partem abeat Baldus, cuiusquidem *magna est auctoritas, præsertim quando non habeat contradictionem*, inquit Alexander de Imola: sed, in ista materia, vt & in multis aliis, *magnum habet contradictorem*, inquit Petrus Lenauderius in libro de priuilegiis Doctorum, nempè Dominum Bartholum, patrem Iuris.

Nec quæram, vtrum Lutherus tunc fuerit excommunicatus: nam talis, vt idem Bartholus docet, Doctorali honore insigniri nequit. Absoluo Lutherum ab omni vinculo excommunicationis: in quan-

quantum possum, & ipse indiget, ad Doctoralis inaugurationis effectum consequendum. Nec quæram, vtrum fuerit spurius; tametsi non desunt, qui dicant, illum natum ex honestissimo patre qui dicitur *Incubus*: de quo extat vetus versiculus: *Te signato cruce cùm venerit Incubus ad te.* Quia licet nonnulli Doctorum abnuant, illegitimum Doctoralis dignitatis capacem esse: alij tamen affirmant, quorum auctoritate Lutherus facilè se tuebitur.

Nec curiosius inquiram, vtrum Lutherus caput sufficiente doctrina instructum ad Doctoralem pileum attulerit? quia ineptus non potest creari Doctor: &, si creetur, non fit Doctor, sed cuculus: nec est Doctor, sed *Dolor*, vt inquit Cynus. Hæc omnia indiscussa relinquam, & ex liberalitate dabo; Inaugurationi Lutheri nec Iuris, nec facti vllum defectum interuenisse: nego tamen illum post annum Domini Millesimum, quingentesimum vigesimum Doctorem mansisse. Causa negationis est; quia Lutherus à Leone X. Pontif. Max. & ab inuictissimo Imperatore Carolo V. de Doctoratu deturbatus, & degradatus, & omni dignitate Doctorali, priuilegiisque priuatus fuit.

Ergo ne inquies, Doctores degradari possunt? Quis dubitat? Ostendam id non iam, sed crastina luce. Redite cras qui nunc adestis: probabo duo: Primum; Doctores posse degradari; Lutherumque re ipsa fuisse degradatum. Deinde; Lutherum, post regradationem, fumos orbi vendidisse; quando se pro Doctore Theologiæ venditauit; & Doctoratum à Carolstadio acceptum, sed postea amissum, tanquã legitimum vocationis suæ ad Catholicam fidem exterminandam, sectamque suam introducendam, argumentum imperitis obtrusit. Hæc duo cras, D E O propitio, exequar: atque adeò Lutherum de gradu Doctorum deturbabo: & hunc nostrum Candidatum in eodem honestissimo gradu collocabo.

Nunc, quod benè vertat, disputationem auspicemur: vt & suas partes in hac vespertina scena noster Candidatus agat; quandoquidem ego iam egi meas,

THESES

THESES EX SVMMA S. THOMÆ,

IN CATHOLICA INGOLSTADIENSI ACADEMIA Kalendis Septembribus Año M.DC.IX. ad vespertinam disputationem propositæ.

A

REVERENDO ET CLARISSIMO DOMINO MARTINO MORESCIO, POLONO, SS. THEOLOGIAE LICENTIATO,

Pro

Suprema S. Theologiæ laurea.

Ex prima Parte.

THESIS PRIMA.

THeologia non est propriè dicta scientia. Est vna specie infima, practica simul, & speculatiua. Ratio eius formalis sub qua, est diuina reuelatio. Est habitus per se acquisitus. Nullus hæreticus, quà talis, est, aut esse potest Theologus. Ac proinde cum sectarij se Theologos, aut sacræ Theologiæ Doctores nuncupant, se, & alios ludificant. Ex quo sequitur, nullum hæreticum posse creari Theologiæ Doctorem.

SECVNDA.

DEVM esse, & vnum esse, euidenter demonstrare licet. Trinum esse, sola fide creditur. Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit. Si non procederet à Filio, non distingueretur à Filio. Angelus est in loco non tantùm per operationem, sed & per substantiam suam.

Ex prima secunda.

PRIMA.

Essentialis beatitudo non consistit in sola visione DEI; sed & in fruitione voluntatis.

SECVNDA.

Potest Legislator humanus ferre legem, quæ obliget in conscientia. Potest aliquod verum cognosci, & aliquod bonum opus morale fieri, sine speciali auxilio DEI.

Ex secunda secundæ.

PRIMA.

Pontificis auctoritas ex cathedra aliquid definientis, simpliciter infallibilis est. Nullus Pontifex, etiam quo ad priuatam personam suam, hæreticus fuit. De fide est, hodiernum Pontificem Paulum V. esse verum & legitimum Christi in terris vicarium.

SECVNDA.

Inter regulas, quas Pontifex ante definitionem consulere debet, est etiam scriptum DEI verbum: quod Nouatoribus semper est in ore: licet eius vmbram duntaxat habeant. Neque Hæreticorum Biblia, aliter sunt Biblia, quàm corpus humanum exanime, homo.

Ex tertia parte.

PRIMA.

Lutherani, Vbiquistæ sunt Eutychianorum fratres: stultè Vbiquitatis commentum colligunt ex vnione naturæ humanæ cum diuina in eâdem hypostasi, quæ vnio substantialis est. Hæc propositio, *Verbum est homo*; non est essentialis, sed substantialis.

SECVNDA.

Deipara VIRGO absq; peccato originis concepta fuit. Et quandoquidem adhuc in trigintadiali festiuitate Assumptionis versamur; asserimus, eam anima, & corpore in cælum assumptam: Et hoc tam certum esse, vt contrarium dicere, sit prorsus temerarium, & proximum hæresi.

ORATIO DOMINI CANDIDATI.

IV. Non. Septemb. dicta.

IMitabor hodie eos, qui apud Areopagitas dicebant; *Admodum Reuer. & Mag. Dne. Rector, Illustrißime Marchio, Illustres, atque Generosi Comites, & Barones; Patre Academici amplißimi, cæteriq; virtute, & eruditione ornatißimi Auditores*; & absque vllo proœmio rem ipsam statim aggrediar. Rem, inquam, neque ab hoc loco, & auditorio, neque ab huius diei inauguratione abhorrentem.

Quæstio

Quæstio est, Vtrum Lutheranæ, & Caluinianæ Academiæ veros Doctores Theologos nobis procreent, an, tantùm Doctorum laruas, specioso hoc vocabulo, & tegumento velatos, quibus vltrà nomen nihil suppetat, & quibus Doctorum ratio, notio, & immunitates non magis competant, quàm picto homini hominis veri ac viuentis definitio? Dixi, *Doctores Theologos*: quia, licet quæstio vniuersim ad Doctores quoque Iuris, Medicinæ, & Philosophiæ extendi possit; ego tamen, tanquam Theologicæ Docturæ Candidatus, de solis Theologiæ Doctoribus disputabo. Occurrunt autem duplicis generis Academiæ religionis auitæ desertrices. Nonnullæ; quæ olim Catholica fide claruerunt, Pontificumque, Imperatorum, ac Regum Catholicorum auctoritate primitùs erectæ, priuilegiis, & variis immunitatibus donatæ fuerunt. Ex quorum numero sunt Academiæ Vuitebergensis, Lipsiensis, Tubingensis, & similes. Aliæ sunt, quæ post exortas istas hæreseon pestes, Lutherum & Caluinum, exstiterunt. Ex quibus quasdam non tantum Reges & Principes Lutherani, vel Caluiniani, sed & Catholicæ fidei addicti Imperatores confirmarunt, & prærogatiuis adauxerunt.

Hac distinctione præmissa, ad quæstionem propositam respondendum censeo, nullam Academiam, siue prioris, siue posterioris ordinis, creare, aut creare posse veros Theologiæ Doctores: eosq; quos nobis proferunt, nil aliud esse, quam Doctorum veri nominis volatiles vmbras, & vitæ, spiritusque expertia simulacra. Quod variis modis ostẽdi potest. Primò quia Doctor Theologiæ creari nequit, nisi ab illo, cui legitima creandi Doctoris potestas concessa est: hanc non habent Academiæ, quæ à Catholica fide vel desciuerunt, vel in ipsa hæresi prognatæ sunt. Neque enim credibile videtur, Pontifices & Imperatores, ac Reges Catholicos, Academiis olim aliter potestatem Theologiæ Magistros & Doctores renunciandi concessisse, quàm, si in Catholica, Apostolica, & Romana fide perseuerarent: cùm tota hæc graduum, & titulorum Academicorum solennitas aliò ab illis non fuerit relata, nisi ad Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ religionis conseruationem, & propagationem. Quis verò sibi persuadeat, eos voluisse, vt illi veri & legitimi Doctores censeantur, qui hanc fidem totis viribus ex professo oppugnatum eunt: & eum in finem ab Academiis veræ religionis desertricibus instituuntur, & promouentur, & iuramento insuper adstringuntur, vt sectas tueri, & auitæ fidei instituta conuel-

lere gnauiter insistant? Quis non animaduertit, hæreticorum Doctorum inaugurationem ex diametro aduersari Pontificum, Imperatorum & Regum Catholicorum fini: qui alius non fuit, quàm vt per huiusmodi Doctores, quos Vniuersitates Ecclesiæ proferebant, vera fides plantaretur, defenderetur, ac propagaretur? scilicet Pontifices, & Orthodoxi Principes voluerunt, vt lupi gregis Dominici inuasores & dissipatores pestilentissimi, fures & latrones animarum, titulis & insignibus Academicis decorentur, & Doctores salutentur, quò maiore cum auctoritate, & securitate ouile Christi deuastare queant. Scilicet Pontifices, & orthodoxi principes voluerunt lupos, fures, & latrones in Academiis creari, & priuilegiis ad rapinas, furta, & latrocinia excitari, quasi non sponte sua extra Academias satis vbere prouentu proueniant.

Quis vnquam audiuit lupos, fures, & latrones priuilegiis, certisque honorum insignibus impelli, & decorari ad hoc, vt officia luporum, furum, & latronum industriè ac indefessè obeant? Nam, cum Lutheranus, aut Caluinianus Promotor Theologus, hac, vel simili veborum formula Candidatum hæreticum Theologiæ Doctorem facit: *Ego te Theologiæ Doctorem constituo; dans tibi omnia priuilegia, quæ huic gradui annexa esse solent*; nil profectò aliud dicit; quàm, *ego te lupum, furem, & latronem animarum creo, constituo, pronuncio: & do tibi facultatem, vt non intres in ouile ouium per ostium,* Ioan. 10. *sed ascendas aliunde*: vt impleatur scriptura, quæ dicit: *Amen, amen dico vobis; qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde; ille fur est & latro.* Ibid. Do tibi etiam facultatem, vt fureris, mactes, & perdas: quia scriptum est: *fur non venit nisi vt furetur, perdat, & mactet.* Do tibi insuper facultatem, vt oues Christi rapias, & dispergas: vt impleatur alia scriptura, quæ dicit: *Lupus rapit, & dispergit oues.* Quis sanæ mentis sibi persuadeat, hæc talia fieri auctoritate, & consensu, Pontificum Romanorum, Imperatorum, Regumq; Catholicorum, qui superioribus seculis, ante Lutheri, & Caluini ortum, Academias; quæ eiusmodi Doctores hodie nobis procudunt, Pontificiis, Cæsareis, ac Regiis decretis, & immunitatibus cohonestarunt?

Vt autem isti lupi, fures, & latrones securius munus suum administrent; amiciuntur vestimentis ouium, hoc est, insignibus, & stemmatis Doctoralibus, pileo, epomide, annulo, cingulo exornantur; in cathedra sublimi collocantur: & liber illis primùm clausus, deinde apertus proponitur. Quæ hîc lupi suspicio? quæ furis? quæ latro-

quæ latronis? nulla, si animum non aduertas: maxima, si aduertas, præsertim ad illud Redemptoris nostri monitum: *Attendite à falsis Prophetis*, hoc est, à falsis Doctoribus, *qui veniunt ad vos in vestimentis ouium*, hoc est, doctoreis titulis, & insignibus insigniti; *intrinsecus autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos.* Qui nam isti fructus? antea recensui ex S. Ioanne; *furari, mactare, perdere, rapere, dispergere.* Hosne lupos, hosne fures, hosne latrones creent, foueant, alant, educent, priuilegiis, & prærogatiuis muniant, titulisque honorificis locupletent Pontifex, Imperator, & Reges Catholicæ religionis custodes, ac tutores? Hosne isti emittant in gregem Dominicum, vt rapiant, dispergant, mactent, perdant? Mihi sanè nemo hoc persuaserit.

Matt. 7.

Ioan. 10.

Vt cætera omnia adessent, quæ ad promotionem Doctoris Theologi requiruntur; deficeret tamen legitima Theologiæ Doctores promouendi potestas: quam quæuis Academia, hoc ipso, quod hæresin amplectitur, amittit. quia, iam non amplius Doctores, sed seductores nobis dabit: nec Doctores, sed lupos diademate Doctorali coronabit. Quò fit, vt minimè credere oporteat, Catholicos Imperatores & Reges, si quando hæreticam Academiam sua auctoritate confirmant, id velle, vt tales Theologiæ Doctores in iis creentur, qui nomine sint Doctores, re ipsa lupi, fures, latrones. Iniuriosus enim in Imperatoriam Maiestatem fuerit, qui ei hanc mentem, & voluntatem Ecclesiæ orthodoxæ, & priscæ fidei tam perniciosam adscribere ausit. Quod si quis Rex, aut Princeps, à religione vera alienus, extra Imperium Romanum, suo in regno, Academiam instituat, & Theologiæ Doctores creandi potestatem faciat: non ideo candidati Nouatores, tali auctoritate creati, veri Theologiæ Doctores erunt, quia deficit aliquid aliud, de quo paulò post: vt taceam, dubitari à nonnullis, num Imperator, aut Rex Imperiali, vel Regia sua auctoritate Doctores Theologiæ, & Canonum renunciare, aut aliis renunciandi ius concedere queat: cum Imperator subsit istis scientiis. *Quapropter non videtur talis Doctoratus posse emanare ab eo in tali materia. Ita audiui aliàs attentari: tamen, quia scriptum non reperio, non affirmo*, inquit summus Canonum interpres Felinus in cap. *Per tuas*, extra de Maioritate, & obedientia. Benè, quod non affirmat Felinus. quia non est ratio vrgens, quæ Imperatori hanc potestatem abiudicet. Nam & Pontifex est sub sacra scriptura; & tamen sacræ scripturæ Doctores facit. Et Academiæ subsunt sacræ scripturæ; & Iuri Canonico, neque ideo ius creandi Do-

ctores sacrarum literarum, & Iuris Canonici illis adimitur. Et fuerunt, suntque Academię Catholicæ, Imperatorum duntaxat priuilegiis, & concessionibus instructæ, & munitæ: attamen non existimo vllum fore, qui legitimos Theologiæ & Iuris Pontificii Doctores ab illis creatos esse, vel etiamnum creari abnuat: & tamen hanc potestatem à solo Imperatore habent.

Secundò, Lutheranos, & Caluinianos non esse veros Theologiæ Doctores, inde ostendo: quia carent vero veræ Theologiæ habitu: cùm careant vera fide. Habitus autem Theologiæ ex articulis, & principiis fide supernaturali creditis deducatur, & enascatur. Itaque, sicuti fieri non potest, vt quis in scientiis habitum conclusionum acquirat, vel possideat; si careat habitu principiorum, ex quibus conclusiones illæ deriuantur: ita fieri nequit, vt quis verum habitum conclusionum Theologicarum adipiscatur, aut eo polleat; si careat principiorum habitu, qui est vera, & diuinitùs infusa fides, diuinæ reuelationi, tanquam basi, & fundamento suo innixa: cui & ipse Theologiæ habitus, saltem mediatè, inædificatur. Quis autem hæreticum vera fide præditum esse affirmet? Ergò nec veræ Theologiæ habitu præditus est. Ergò nec verus Theologiæ Doctor est. quia verus Theologiæ Doctor, non nisi veræ Theologiæ Doctor est.

Si verò per Theologiam, cùm sectarii Theologiæ Doctores creantur, aut ab aliis hoc titulo afficiuntur, intelligamus, non illum habitum, qui ex principiis fidei deducitur, & ab illo specie distinguitur, sed ipsam principiorum fidei, & eorum, quæ in Bibliis continentur, immediatam, & omni discursu, & ratiocinatione carentem cognitionem; ne sic quidem veri Theologiæ Doctores erunt: quia, quæ in Bibliis traduntur, non diuinâ, sed humanâ duntaxat fide & cognitione credunt. At humana fides & cognitio non est vera & Theologica, infusa nimirum, & supernaturalis notitia: nec diuina reuelatione fulcitur; nec propositione Ecclesiæ, tanquam conditione quadam sine qua assensus nullus esset, sustentatur.

Adhæc, hæretici non habent verum Verbum Dei, & germanas, genuinasque sacras literas, fieri ergò nequit, vt veræ Theologiæ, & sacrarum literarum veri Doctores fiant vel nominentur. quia verũ Dei Verbum non est, quod mutilum, & mutilatum, truncum & truncatum est, quod in numeris locis deprauatum; inuersum, & peruersum est: & cui noua: & apud orthodoxos superioris ætatis inaudita sententia, & intelligentia subiicitur. At, talia sunt Biblia Luthe-

rana, &

rana; & Caluiniana. Ex veteri enim Testamento exsecuerunt Tobiam, Iudith, Baruch, Machabæos, Ecclesiasticum, librum Sapientiæ; grandesque partes Estheris, & Danielis. Ex nouo amputarunt Lutherani Epistolam S. Iacobi, Iudæ Apostoli, vnam S. Petri, duas S. Ioannis, Epistolam ad Hebræos, Apocalypsis vix tuta mansit: pleraque perperam translata sunt: maxima pars in alienũ, & falsum sensum detorta, contempto, penitusque repudiato Ecclesiasticæ traditionis Canone. Quales igitur isti Doctores Theologiæ, hoc est sacræ scripturæ; qui veram scripturam non habent? eamq; forma, vita, & sensu suo spoliant? Num vera scriptura est, cui alienus, & à spiritus sancti mente planè diuersus sensus substernitur.

Obiiciat quis: Num tu Lutheranis, & Caluinianis Doctoribus omnem titulum, & honorem Theologicum, & Doctoralem adimes? Non certè adimam, nam quî adimerem id quo nunquam præditi fuerunt? Creentur, & appellentur Doctores Theologiæ, non simpliciter, sed Lutheranæ, vel Caluinianæ. Salutentur Doctores Theologi, sed Lutherani vel Caluiniani. Habeatur & decernatur illis iste honos: Si honos est, esse Doctorem Lutheranæ, vel Caluinianæ Theologiæ: quæ à morologia, & spermologia nullo discrimine secernitur: dummodo in eorum, qui hoc titulo verè sunt insigniti, census & consessum non admittantur.

Hoc tamen sileri non debet: si quando Doctor Theologiæ Lutheranæ, vel Caluinianæ ad Catholicorum partes transit, neque Doctoralem gradum in orthodoxa Vniuersitate sumit; & tamen Doctor reputatur, & appellatur: transire tunc communi orthodoxorum consensu & approbatione, putatitium gradum illum apud hæreticos receptum, in verum, & legitimum; posito, quod ex parte subiecti non sit doctrinæ defectus, quo quis ad verum, & genuinum Doctoratum in habilis efficiatur: nam hoc ipso, quòd talis ad Catholicam fidem regressus Doctorum titulis, & priuilegiis gaudet; colligimus tacitum in eius Doctoralem dignitatem Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, & Academiarum Catholicarum consensum, ita vt post transitionem ad orthodoxiam, legitimum habeatur, quod antea illegitimum erat: quandoquidem talis à commentitia, & stramentitia Theologia, ad veram, & à scriptura fictitia, & profana, ad genuinam, & sacram transit.

Tertiò, Lutheranos, & Caluinianos Theologos, non esse veros Doctores, inde liquet, quia veræ fidei professionem non faciunt: cùm, si seriò facerent, mox hæretici esse desinerent. At nulli

patet aditus ad honorem Doctoralem sine hac professione ex præscripto Pij IV. Pontif. Max. qui Academicos Gradus absque ista professione collatos ac susceptos, irritos, infectos, inualidos, & plane nullos esse iubet,

Obiiciat quis: Hanc Pontificiam sanctiónem nihil ad Nouatores spectare. At certè mirum hoc fuerit. An non Ecclesiæ iurisdictioni subiacent? licet, sint rebelles, ceruicesque suas à legitimo imperio excutere velint. Imò, vsque adeò hæc Bulla hæreticos tangit; vt eum in finem præcipuè conscripta, & promulgata fuerit; ne sectariis ad gradus, & titulos Academicos ianua pateret. Dices; Hanc constitutionem non fuisse receptam, ac proinde, non obligare. At vnde hoc tibi notum? Deinde, nego Pontificias sanctiones non obligare, nisi à subditis recipiantur. Contrarium grauissimi Theologi docent. Dices: hanc Bullam alicubi non obseruari conniuente & dissimulante Pontifice. At vnde hæc conniuentia, & dissimulatio tibi constat? Quod eius argumentum, vel indicium profers? Accedit denique, quod Lutherani & Caluiniani Theologiæ Candidati plerunq; prorsus sunt inepti. Quocirca ob ineptitudinem quoque ad Doctoralem dignitatem euehi nequeunt.

Plures suppetebant rationes, quibus demonstrari potest, eos, qui apud sectarios Theologiæ laurea, vt ipsi quidem autumant, decorantur; à verorum Doctorum numero segregandos esse. Sed verbis modum statuere, & ad id accedere debeo, cuius gratia hodierna celebritas est instituta.

Post paucas hebdomadas annus erit, quando Doctoralis laureæ petendæ, & accipiendæ licentiam accepi. Nunc cùm abitum ex hac celeberrima Academia in patriam, longissimo locorum interuallo ab his regionibus seiunctam mediter: insusurrauit mihi satyricus carmen illud suum; Quò mihi diuitiæ, si non conceditur vti? Quo mihi licentia capiendi supremi in Theologia honoris, si hac licentia non vtar; præsertim cùm iureiurando obstrictus, eâ extra hanc vniuersitatem vti non valeam; neque fortassis vnquam occasio sese datura sit, vt in has orbis partes reueniam. Volui igitur id, quod mihi per impertitam licentiam licebat, ad opus conferre, & studiorum meorum, vt sic loquar, ædificio extremum complementum, & quasi colophonem imponere, idque tuis R. P. *GRETSERE*, auspiciis: qui pro tua humanitate haud grauatè, quod tibi ab amplissimo Collegio Theologico commissum est, transactum dabis.

ORATIO

EXsequar nunc duo illa capita, quæ hesterno die in hodiernum reieci, *admodum Reuerende & Magnifice Domine Rector, Illustrißime Marchio, Illustres, atq; Generosi Comites, & Barones, Patres Academici amplißimi, cæteriq; Auditores virtute, & doctrina spectatißimi*; primumque ostendam Lutherum per degradationem amisisse illum Doctoratum, quem anno Redemptoris M. D. XII. Vuitebergæ, promotore Andrea Carolstadio, acceperat: secundò, Lutherum, si degradatus fuit, vt re vera fuit, non nisi fraudulenter postea Doctoratum, quem amplius non habebat, pro legitimo vocationis testimonio venditasse, & imperitis obtrusisse.

Lutherum degradatum fuisse; hoc est, constitutionibus, rescriptisque Leonis X. & Caroli V. titulum, nomen, honorem, insignia, stemmata, priuilegia, & immunitates Doctorum perdidisse: (in hac enim priuatione consistit degradatio, seu, vt Cuiacius appellat, regradatio:) testatur ipsemet Lutherus Præfatione in librũ aduersus falsò nominatum Ordinem Episcoporum: cuius hæc sunt verba; *Quandoquidem per Papalem, & Cæsaream indignationem, titulis meis exutus sum, & character ille bestiæ, de qua in Apocalypsi, mihi tot Bullis erasus & deletus est: sic, vt neque Doctor Theologiæ, neque quidquam eiusmodi creaturæ humanæ & Papisticæ vocer amplius, non valdè iis honorum damnis sum territus: talis enim fuci, talium personarum humanarum me omnium maximè semper puduit coram DEO.*

In hac Lutheri oratione duo obseruanda sunt. Primùm, conuicia, quibus Doctoratum incessit. Nominat enim *characterem bestiæ Apocalypticæ*, hoc est, ipsius cacodæmonis symbolum, & tesseram. Secundò *Papisticam creaturã*, eò quod Doctoralis gradus à Pontificibus, Pontificiq; addictis Imperatoribus, ac Regibus in Ecclesiam & Christianã Remp: introductus sit. Tertiò nominat *fucum*. Quartò *Humanam personam*, hoc est, laruam scenicam & histrionicam. Quintò mentitur, se coram DEO semper pudore suffusum ob Doctoris titulum, nam adeò Doctoralis gradus, & dignitatis non puduit Lutherum, vt, quod alibi ex Cochlæo recensui, pecuniam quoque ad Doctoratum suscipiendum necessariam tagacibus manibus clepserit, seu, vt apertius dicam, furatus fuerit. *In Actu Doctorali 1606.*

Deinde obseruandum est, Lutherum loco motionem suam, & de dignitate Doctorali detractionem, Pontificis, & Imperatoris decreto factam, agnouisse, nec hoc solum; sed & thrasonicè palàm præ-

iàm prædicasse. Nam à Leone X. anno Christi M. D. XX. tertio nonas Ianuarij publico, ac solenni ritu euulgata Bulla, hæreticus pertinax, perniciosus, & pestilens declaratus, & anathemate percussus, & omni dignitate, ac prærogatiua, & per consequens, etiam Doctorali honore exutus est: Et mox sequenti anno à Carolo V. Imperatore proscriptus; igni, & aqua interdictus, & Imperiali banno subiectus. Et vt hæc regradationis pœna Luthero à Pontifice, & Imperatore non fuisset inflicta; ipso tamen in hæresin lapsu, hæreseosque contumacissima, & peruicacissima defensione, Doctoris honorem & priuilegia amisisset: quia, vt rectè dicunt & edicunt Imperatores Constantinus, Constantius, & Constans; *priuilegia, quæ contemplatione religionis indulta sunt: catholicæ tantùm legis obseruatoribus prodesse oportet. Hæreticos non solùm ab his priuilegiis alienos esse volumus, sed aduersis muneribus constringi & subiici.* Quis autem ambigat, priuilegia, ornamenta & insignia Doctoralia, atque adeò ipsum Doctoris Theologi nomen ac titulum, à Pontificibus, Imperatoribus, & Regibus, non nisi in gratiam, fauorem & emolumentum Catholicæ religionis, & Catholicorum fuisse primitùs instituta, & in scholas introducta?

At fortè imperitiori cuipiam nouum ac insolens videbitur, Doctorem degradationis pœna plecti posse. Atqui, hoc certi, & explorati iuris est. *Scias*, inquit Hippolytus Riminaldus in Cap. Clerici, extra de Iudiciis, *quòd Doctor ita degradari potest, sicut Clericus, secundum Bártholum in l. 2. §. ignominiæ ff. de infamia. Item scias, quòd degradatus, est de foro Iudicis Laici.* Christophorus quoque Lafranchinus in libro, *Vtrum Doctor præferendus sit militi*, an vice versa, miles Doctori? docet ex Martino Laudensi, Doctorem vltimo supplicio affici non posse, nisi prius degradetur; eo modo, quo sacerdos, Diaconus, vel subdiaconus, mortis reus, de gradu suo, solenni ritu, & cæremonia, deiici solet. In Germania tamen vix hoc seruatur. Quocirca cum ante aliquot annos, quadam in vrbe, nemini vestrum ignota, Doctor laqueo adiudicatus esset, quærereturque, an non prius quàm suspenderetur, degradari deberet: responsum est à quodam; omninò degradatum iri; at tum aiebat, quando de gradibus scalæ à carnifice deturbabitur. Sed vulgaris est hæc degradatio, non Iuridica; qualis, cum quis indutus & ornatus omnibus ornamentis Doctoralibus, iisdem postea simul cum vniuersis priuilegiis Doctoreo honori annexis exuitur, ac priuatur: vel saltem per principis sententiam ac rescriptum, *titulo, dignitate, & insignibus*

insignibus Doctoreis spoliatur: quo degradationis genere Lutherus à Leone X. & Carolo V. mulctatus fuit. Neque enim Lutherus post Comitia Vuormaciensia, ea in loca venit, vbi Doctoralibus ornamentis indui; & mox eisdem iterum solenniter exui posset: sed, in Saxonia, sub tuta tutela se continuit, quare per sententiam duntaxat à legitimis iudicibus latam de gradu Doctorali detrudi potuit.

Cùm autem ipsemet publicè confessus sit; se suo Doctorali honore à Pontifice, & Cæsare exutum fuisse; ac propterea, ne sine nomine foret, *Ecclesiastem Witebergensem*, & *Euangelistam* se in contemptum Papæ, & Imperatoris indigitauerit: Non satis dispicio, quo iure postea Doctoris titulum vsurparit, & ab aliis sibi tribui passus fuerit? Quæro enim, à quo Doctoratu Doctor audierit? Num ab illo, qui spiritu sancto Promotore confertur? At iste fictitius est; vt heri ostensum. An ab illo, quem accepit, Promotore Carolstadio, in Academia Vuitebergensi, cùm adhuc Catholicam fidem coleret? At istum Doctoratum amisit per καθαίρεσιν seu legitimam regradationem; qua se hoc Doctoratu mulctatum fuisse, confessus & palàm testatus est Lutherus; vt antea vidimus.

Nec audiam, si dicas; hunc Doctoratum Luthero restitutum. Vbi enim reuocauit Leo X. illam Bullam, quæ inter Leoninas trigesimum septimum locum obtinet? Et, vbi Carolus V. retractauit suam sanctionem? quarum vtraque Luthero omnem dignitatem & honorem etiam literarium & Academicum iuridicè ademit. Neq; vnquam postea Lutherus gradum Doctoralem resumpsit. Et, vt resumpsisset; statim quæstio exstitisset, num huiusmodi Doctoratus valeret: quia, vt Baldus, & alij ex Iureconsultis docent: Doctor suo Doctoratu propter aliquod crimen priuatus, non potest iterum *doctorari*. Obstitisset quoque Luthero inflicta excommunicatio, & perpetua infamia, qua & à Pontifice, & ab Imperatore notatus est: quia, vt Doctores tradunt, nec excommunicatus, nec infamis creari potest Doctor: neuter enim capax est dignitatis. Doctoratus autem dignitas est. Nec dici potest: Lutherum post mortem denuo Doctoratum acquisiuisse, quia, vt Panormitanus, & alij docent; mortuus non potest fieri Doctor.

Lege Petrum Leanderi-um in lib. de priui-leg. Docto-rum.

Si contendas: Lutherum etiam post degradationem, mansisse Doctorem; sicut sacerdos degradatus verè est sacerdos: degradationem enim tantummodò tollere insignia; ornamenta, vsum & executionem doctoratus; quemadmodum & sacerdotii: Respõdeo, di-

deo, disparem esse rationem: quia gradus sacerdotij imprimit indelebilem characterem. Quò fit, vt quis sacerdos maneat, quandiu character ille manet: manet autem perpetim. At Doctoratus nihil, quod rei nomen mereatur, in homine ponit; sed est publicum quoddam ex publica auctoritate eruditionis partę testimonium, certis ritibus & stemmatis concessum; vnà cum variorum priuilegiorum communicatione, & data docendi potestate. Quibus omnibus denuo quis priuari potest, si culpam tali priuatione dignam admittat: quæ, si tollantur, quid quæso de Doctore superetit?

Lutherus tamen, vt in aliis plerisque, sic etiam cum suo Doctoratu mundum insigniter fascinauit ac dementauit: cui non modò persuasit, se adhuc habere Doctoratum: quem, vt ipsemet cõfitetur, per degradationem amiserat; sed & huius, quod admirabilitate sua omnia mira transcendit, asseclis suis fidem fecit, Doctoratum suum esse legitimæ vocationis suæ ad res nouandas argumẽtum: omnis enim, qui pro legitimo Ministro habueri cupit; legitimæ suæ vocationis, ordinationis, & missionis tabulas poscentibus exhibere debet. Lutherus igitur, cum nihil aliud occurreret, ad Doctoratum suum confugit cùm alibi, tum Tomo 5. Ienensi Germanico in Epistola contra clancularios, & angulares Prædicatores. Et quærentibus, in qua potestate facis, quæ facis? in qua potestate Missam exterminas? Monasteria diruis? vota monastica soluis? sacramenta mutilas, & alia millena perpetras? Respondit Lutherus; *Doctor sum etiam post degradationem, ergò licitè facio, quidquid volo.* Et in Colloquiis symposiacis Titulo, *de Antichristo*; dicit, se suum Doctoratum, tanquam inuictum clypeum, vniuersis Diaboli tentationibus opposuisse. Ita ne verò? Doctoratum, quo exutus es, teipso teste, pro testimonio legitimæ vocationis tuæ nobis produces? Num homines in fungos abiisse credis, qui tibi hanc consecutionem concedant: *Sum Doctor, etiam post regradationem: ergò legitimè vocatus, & missus ad vetera instituta conuellenda, & noua introducenda.* Miror stuporem & hebetudinem Diaboli, qui Luthero Doctoratum suum tentationibus obiectanti; non occinuerid: Non metuo tuum Doctoratum, qui nullus est. An non ipsemet dixisti, scripsisti, te tuo Doctoratu à Papa & Cæsare priuatum? An non hoc nomine effusissimè tibi gratulatus es? Cur igitur me iam stramentitio tuo Doctoratu repellere, ac perterrefacere frustra tentas?

At demus, Lutherum non fuisse degradatione punitum; sed,

retinuisse

retinuisse Doctoratum, quem à Carolstadio acceperat; num ideo inde nobis persuaderi sinemus, hunc eius Doctoratum fuisse legitimam ordinationem, vocationem, & missionem: ad ea agenda, quæ postea, furiarum impulsu, egit? Minimè verò: quia, *character bestiæ Apocalypticæ, fucus, creatura papistica, larua scenica, & histrionica*, non potest esse legitimæ vocationis testimonium: sed Doctoratus, quem Lutherus habuit à Carolstadio, omnia ista, quæ dixi, fuit, teste ipso Luthero; Non est igitur legitimæ vocationis testimonium.

2. Si Doctoratus est legitimæ vocationis argumentum, cur Lutherus alibi insignia Doctoralia, & omnes ritus Academicos in his honoribus conferendis adhiberi solitos, innumerabilibus conuiciis proscidit & lacerauit? Cur penitus abrogauit? Cur Academiæ Vuitebergensi auctor fuit, vt plurimis annis collationem gradus Theologici, & aliorum intermitteret? Cur aliæ Academiæ idem exemplum secutæ sunt? *Nodum in scirpo quærere, & humani aliquid pati videntur*, inquit Leonardus Hütterus, Prædicans Vuitebergensis, in promotione quadam Doctorali typis excusa, *qui promotiones nostras Doctorales pro vera, legitima, ac solenni ordinatione ad ministerium agnoscere nolunt.* Si hoc ita est, nodum ergò in scirpo quæsiuit Lutherus, cum promotiones Doctorales penitus respuit. cumque hoc eius enthusiasmo Anabaptistico afflata Academia Vuitebergensis non nisi post multos annos hæc insignia, stemmata & digmata Academica denuo his elargiri cœpit. *Vide Inaugurat. Doctoralem Ingolstadij Anno 1606. excusam.*

3. Si Doctoratus est ordinatio, certumque testimonium legitimæ vocationis ad ministerium Ecclesiasticum; quomodo ordinabantur, vocabantur, & mittebantur Lutherani Prædicantes, cum Doctoratus Theologicus ex Vuitebergensi Academia exularet? Quomodo ordinantur, vocantur & mittuntur alii minorum gentium, & patellarii Prædicantes; qui Doctorum titulo non clarent? quorum innumerabilis est caterua.

4. Si Doctoratus est ordinatio ad Ministeriū, & legitima vocatio ad id agendum, quod quis agere cogitat; legitimè ergò ordinantur, & vocantur hodie Caluinistæ: quia & ipsi æquè, ac Lutherani suis in scholis Doctores creant. Si ergò Lutherus legitimè ad suum negotium ordinatus, & vocatus est, quia Doctor creatus est; cur Caluinista non vocaretur, & ordinaretur legitimè ad sua dogmata spargenda; quando Doctoralia insignia publicè in Academia quapiam capit?

5. Imò velint, nolint, fateri cogentur Lutherani, etiam Pontificios legitimè ordinari, & vocari, quando in Academiis renunciantur, & declarantur Theologiæ Doctores. Nec est, quod excipiant de Academiis Catholicis, seu Pontificiis. Nam Lutherus, qui legitimam suam vocationem in Doctoratu constituit, non nisi in Catholica Academia Doctoratum adeptus est: nec nisi ritu Catholico, quia anno 1512. quo Lutherus Vuitebergæ creatus est Doctor, Academia Vuitebergensis erat Catholica, seu Pontificia. Neq; vnquam Lutherus alio doctoratu gloriatus est, quàm eo, quem acceperat Vuitebergæ, promotore Carolstadio. Et tamen hunc Catholicum, & Catholicè susceptum Doctoratum pro legitima vocatione habuit, & venditauit: scribensque ad Leonem X. Pontificem Max. Præfatione in Resolutiones Tomo 1. Latino Vuitebergensi audacissimè mentitur; se ea, quæ agebat, agere auctoritate Pontificia, & Cæsarea, qua Doctor creatus fuerit: nam nec Pontifex, nec Imperator Catholicus Luthero, aut vlli alteri per Doctoralia insignia potestatem dedit; vt, antiqua fide euersa, nouam introduceret: sed hæc eorum mens fuit; vt, quisquis ad Doctoratus gradum proueheretur, auitam religionem totis viribus defensum iret; nec, vel latum vnguem in explicatione sacrarum literarum à traditione maiorum, & Ecclesiastici Canonis norma deflecteret. Quid quod Lutherus desciscendo à Catholica fide, & noua placita procudendo, in periurium incidit! Nam, cum Doctor crearetur, iurauit, se illam fidem propugnaturum, quæ tunc in Academia Vuitebergensi vigebat, & quam profitebantur illi, quorum auctoritate Academia illa fundata, & priuilegiis ornata fuerat, qui erat Pontifex Romanus, Imperator, & Fridericus Elector. Quâ fronte igitur postea Doctoratum suis nouitatibus obtendit: cùm Doctoratu accepto, non acceperit aliam potestatem, quam defendendi eam doctrinam, quam tunc ipse Lutherus pro orthodoxa reputabat. Igitur, quoties Lutherus pro nouitate sua Doctoratum suum producit, toties periurii abs se commissi argumentum producit. Neque enim per Doctoratum, vt iam non semel dictum, Luthero facta fuit potestas, quidlibet dicendi & docendi: sed illud duntaxat, quod à maioribus acceperat: quodque tunc ipsius Lutheri iudicio, rectum ac orthodoxum erat.

6. Si Doctoratus est legitimæ vocationis ad ministeria Ecclesiastica argumentum; sequitur Diabolos astutiores & argutiores legitimè vocatos esse ad ministeria Ecclesiæ Lutheranæ: quia, vt heri

ex Lu-

ex Luthero audiuimus, sunt Doctores Theologiæ. *Est autem Doctoratus certum testimonium vocationis ad ministerium*, vt ait Lutheranus Prædicans Hutterus: & vult, *vt hoc benè notetur.* Diaboli igitur, qui sunt Theologiæ Doctores, Prædicantium munere funguntur, vel certè fungi possunt, hoc est, concionari, baptizare, & cænam coquere possunt; cum quibus epulentur Lutherani quandiu, & quantum volent: qui integræ mentis est; is cum his conuiuatoribus nec prandebit, nec cænabit.

Porro perquam ridiculum, quod Hutterus dicit: *Promotiones Doctorales Theologorum, nihil aliud esse, quàm commendationem publicam ministerii Euangelici secundum ritum Apostolicum.* Quid audio Prædicans? Num his ritibus & cæremoniis, quibus vtimur in creatione Doctorum, vtebantur Apostoli in ordinatione, & chirotonia ministrorum Ecclesiæ? Num pileo, num epomide, num annulo exornabant Candidatos Ecclesiastici ministerii? num cingulo cingebant? num in cathedra Doctorali collocabant? In Actibus Apostolicis cap. 13. describitur ordinatio Sauli, seu Pauli, & Barnabæ Apostolorum. nec vestigium, nec vocula ibi de his nostris cæremoniis apparet. Quid ergò? *Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos.* Vbi in institutione Doctoris impositio manuum? Imò vbi & apud sectarios in promotione Doctorali? Hutterus certè præter sessionem in cathedra, librum, pileum, annulum, complexum & osculum, & denique votum, nihil ceremoniarum adducit: nec impositionis manuum vel verbulo meminit.

Magis adhuc ridiculus est alius Lutheranus Prædicans, Georgius Maior, cuius nugas verbatim exscripsit Hutterus; qui in Doctorali quadam inauguratione Vuitebergæ Anno M. D. L X. celebrata, ineptissimè affirmat; *istas Academicas cæremonias in veteri testamento diuinitùs institutas, & postea ab Apostolis aliquas cùm ministerium Verbi quibusdam commendandum esset, seruatas esse.* Nam quòd Moyses fratri suo Aaroni mitram imposuit, quid hoc ad pileum Doctoralem? Et in consecratione ac ordinatione Pauli, & Barnabæ ieiunatum, & oratum est; adhibitaq; manuum impositio, vt paulò antè vidimus. Num idem in creatione Doctorum factitant sectarii? Nequaquam: licet Maior, & cum illo Hutterus, intrepidè mentiantur: *Hunc ritum Apostolicum & nos in talibus congreßibus seruamus.* Quæso, num pridie ieiunant Lutherani, quando postridie Doctorem creant? Forsan ipso promotionis die ieiunium indicunt, & inedia se macerant.

At nunc

At nunc abiungo; licet multa alia de hac Lutheri, & Prædicantium stultitia in Doctoratu pro legitimæ vocationis symbolo venditando dici possent. Sed hæc sufficiant: ex quibus perspicuè quiuis intelligens intelliget, Lutherum cum suo Doctoratu, quo carebat, impostoris partes egisse. Et, vt maximè adhuc Doctoratu præditus fuisset; prorsus tamen fatuè, legitimam suam vocationem ex Doctoralibus stemmatis probare contendisse: licet inconstantissimè modò hoc, modò illud effutiuerit, nam in Psalmum 82. ita scribit: *Etiamsi non eßem Doctor, tamen sum concionator, legitimè vocatus, & debui docere meam Ecclesiam.* Et tamen alibi totum fundum & fundamentum suæ vocationis in Doctoratu constituit. Hîc clamitat: licet Doctor non essem: legitima nihilominus vocatione non destituerer. Qua de causa? Quia Vuitebergenses iusserunt, vt apud ipsos concionatorem agerem. Si hæc est legitima vocatio: legitimè ergò vocatus Carolstadius annunciauit quintum Euangelium Orlamundensibus, & Zuuinglius Tigurinis, & Caluinus Geneuensibus. quia, omnes isti ab Vrbium illarum magistratibus iussi, & conducti in clamatorium ambonem ascenderunt, & inde populo hæreticam pestilentiam inspirarunt.

Nunc ad Candidatum nostrum me recipio: quem volens, libensque creabo Doctorem siue sacræ scripturæ, siue scholasticæ Theologiæ, siue sententiarum. Nam vnus, idemq; Doctoratus & Doctor his vocabulis significatur: Et Lutherus solitam, sycophantiæ artem factitauit, cùm in libro de Reformatione Reipublicæ Doctoratum & Doctorem sacræ scripturæ; Doctoratumque & Doctorem sententiarium, seu scholasticæ Theologiæ, tanquam diuersos distinxit. Est autem Candidatus noster hoc honoris gradu & titulo dignissimus: tum, quia tempus Theologico cursui decurrendo, & consummando præstitutum non modò expleuit, sed & longè transcendit: nam septennium integrum in diuina Theologiæ scientia posuit; partim Posnaniæ in Polonia; partim Moguntiæ, partim in Academia Dilingana, partim in hac nostra: tum, quia in Theologia insignes progressus fecit; quos anno superiore Collegio nostro Theologico satis superq; testatos reliquit, cùm pro licentia Theologica seuerum examen duarum horarum subiit: & argumentis, quæ fermè ex difficillimis Theologiæ quæstionibus proponebantur, promptè, & expeditè satisfecit. A quo tempore frequens Theologicis & Philosophicis disputationibus interfuit: & quoties occasio data est; perspicuè demonstrauit; se, eo honore, ad quem

capes-

capessendum Licentiam acceperat, perquam dignum esse. Et quia in Candidato huius tituli & gradus non solius eruditionis, sed & probitatis ratio habetur: hanc itidem egregiè noster Licentiatus præstitit. Vixit enim hîc, vt vno verbo dicam; *Ecclesiasticè*; hoc est, sobriè, piè, & iustè; &, vt de D. Ioannis Baptistæ parentibus S. Lucas loquitur, *sine querela*. Age igitur, mi Domine candidate; præsta, quæ præstanda sunt: fac professionem fidei; sine qua ex Constitutione Pij IV. nulli ad vllum gradum Academicum aditus patet: & postmodum iura in illa capita, quæ tibi à Domino Notario prælegentur: Et mox exoptata Theologica Laurea te condecorabo.

FINIS ORATIONIS.

Hîc Dominus Candidatus professionem fidei ex præscripto Pii IV. Pontif. Max. palàm fecit: & postmodum in capita sibi à Notario prælecta iurauit. Quibus peractis, publicè sequenti verborum formula Doctor creatus est.

CREATIO DOCTORALIS.

QVod igitur Deus Optimus Maximus ad diuini nominis sui gloriam, ad Ecclesiæ Catholicæ amplificationem; & ad Christianæ Reipublicæ, præsertim latissimi & potentissimi Regni Poloniæ, vtilitatem multò maximam feliciter euenire velit: Ego *IACOBVS GRETSERVS* sacrę Theologię Doctor, & Professor, potestate mihi ab amplissimo Collegio Theologico facta; te *MARTINVM MORESCIVM*, iam antea Theologiæ Licentiatum, nunc eiusdem sacrosanctæ Theologiæ Doctorem creo, creatumq; in hoc doctissimorum hominum consessu palàm pronuncio, dans tibi

omnia iura, & priuilegia, quæ huic honoris gradui à summis Pontificibus, Imperatoribus, & Regibus concessa sunt: In nomine sacrosanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

ACCLAMATIONES QVATVOR EPHEBORVM, ANGELICO SCHEmate ac vestitu nouo Doctori nouam dignitatem gratulantium.

Angelus I. cum Codice.

Huic thesaurus inest doctrinæ plurimus. Idem
Conditus his vinclis, vtilitate caret.
Vincula deme libro: quæ condit, condito mente.
Protinus à labris GRATIA *multa fluet.*
Ergò agè THESAVRI CHARISTES, CLARISSIME DOCTOR.
Quas ARS *ingenio condidit, atq;* LABOS;
In vulgus deprome libens, turmamq; fidelem.
Dimidium chlamydis sic dabis ipse tuæ.

Angelus II. cum serto aureo, & gemmato.

Nectitur hæc gemmis, auroq;, corusca CORONA:
Vertice duplicibus proradiatq; notis.
Sic, vbi VIRTVTI *iungit* SAPIENTIA *sese:*
Hinc animo geminus surgit, & ardet honos:
HOC AVRVM *emineat fronti: splendescat ab ore*
DOCTORIS *sacri nobilis* ISTE LAPIS.
Nec longùm tellus hunc cæli HEROA *tenebit.*
VIRTVS *&* SOPHIÆ *mox super astra vehent.*

Angelus III. cum faculis.

Est fatuus ignis picta, ficta FALSITAS:
Falsoq; fulgore emicat.

Hæreseos istbunc pestis Erebo protulit:
Erebiq; ductu ventilat.
LVX VERITATIS *viribus constat suis:*
Consorsq; PATRI *est* LVMINVM.
ECCLESIÆ *ô* CLARVM IVBAR, *claram hanc* FACEM
In castra PERFIDIÆ *iace.*
MARTINVS *ipse* PRÆSVL *auspicio præit,*
Sequere alacer tantum DVCEM.

Angelus IIII. item cum faculis.

Fax lucet omnis, ardet vnà, dum micat.
Sua publici & iuris facit.
MAGISTER *ille*, DOCTOR & GENTILIVM,
Eiusmodi fulsit FACE.
Nam dogma CHRISTI *lucidum, & vitæ decus*
Docuit vt ORE, *ita* MORIBVS.
PAVLINA FAX *hæc*, DOCTOR *ô* CLARISSIME;
Tibi niteat vsq;, & ardeat.
Post prælium; succedet amplum præmium;
Perennitas VICTORIÆ.

Ritus inaugurationis.

REstat, Clarissime Domine Doctor, vt qui te Doctorem feci: Doctorea itidem insignia tribuam.

Traditio libri.

ANte omnia autem librum tibi trado. Si te fecissem militem, gladium, & baltheum traderem. Nunc, cùm te Doctorem creauerim: par est, vt, qui Doctorem maximè decet, librum à me accipias. Et primò quidem clausum, quia, si, vt quidam Veterum dixit; turpe est, senem ex commentario tantùm sapere: quantò turpius erit Doctorem Theologiæ, nil memoriter scire, nec quidquam vel oppugnare, vel propugnare posse, nisi semper librum apertum ante se habeat.

Deinde, eundem librum tibi trado apertum. Cur apertum?

 Nolo causam à me audias. Audias à S. Paulo, nam quod suo Timotheo olim dixit; hoc tibi hodie dictum existima. Attende lectioni,
1. Tim. 4. exhortationi, doctrinæ. *Hæc meditare, in his esto; vt profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi, & doctrinæ. Insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt.*

Epomis & pileus.

SEcundò, Epomide Doctorali te vestio, & simul inuestio; & hac inuestitura, non cæremoniali, sed vera, & reali, possessionem rei beneficiariæ, hoc est, Theologiæ, tibi trado. Insuper, ad maiorem inuestituræ huius confirmationem, pileum eiusdem cærulei coloris, capiti tuo impono. Inuestiebant olim Germani nostri suos scipione, seu fuste; nunc gladio & vexillo: Angli olim, galea vel cornu, vel cratere, vel calcari, vel strigili, vel arcu, vel sagitta. Doctoralis inuestitura Epomide, & pileo iure perficitur.

Annulus.

PRæterea annulo manum tuam insignio; quo Theologiam tibi despondeo, & connubio stabili iungo, propriamque dico: Tu, caue, libellum repudij mittas; & præstantissimam sponsam suas sibi res habere iubeas. Quin potius, cum sapientissimo illo Rege dicito: *Hanc amaui, & exquisiui eam à iuuentute mea, & quæsiui sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius.*

Cingulum.

ADhæc cingulo te cingo. Cinctum esse oportet Theologum; non laxum, non solutum, multò minus dissolutum. Cinctum esse oportet Theologum: quia, miles est: cui in procinctu semper stãdum, hac præsertim ætate nostra, quâ tot veræ religionis oppugnatores quotidie ex Orco ebulliunt.

Dextra, amplexus, sessio in cathedra.

NVnc dextram tibi porrigo in signum non intermorituri amoris, & nunquam desituræ beneuolentiæ: Teque nouum Doctorem hoc amplexu saluere: ac tandem in hac Doctorali cathedra mecum sedere iubeo: Et hoc honestissimo inthronismo tibi ius

Doctora-

Doctoralis cathedræ conscendendæ, & ex illa docendi & disputandi potestatem facio.

Votum.

TAndem, DEVM ex animo precor, ac veneror, vt hunc dignitatis gradum, & honorem, tibi, ac inclytæ patriæ tuæ, regno inuictissimo, & Christianitatis propugnaculo, fortunare velit. Volet autem, si tu velis: hoc est, si in patriam regressus, labores potiùs, quàm beneficia Ecclesiastica quæras. Nescio enim quis malus genius Doctores nostros impellat, vt cum Poëta illo cantent: *quærenda pecunia primum*, pòst *virtus, & religio.* Imò, ô Doctores Theologi; quærite primum regnum DEI: resistite Diabolo, & copiis eius, Hæreticis: & cætera omnia adiicientur vobis.

Superest, Clarissime Domine Doctor, vt dum Doctoralia munuscula Dominis Professoribus distribuuntur; auditorium aliqua quæstiuncula detineas.

QVÆSTIO, DE ÆQVITATE IVRAMENTORVM, QVÆ CANDIDATVS PRÆSTARE DEBET.

LIbenter parebo iussis tuis admodùm Reuerende Domine Promotor. Non longè abibo: Materiam ex Academia, in qua sumus, & ex Doctorali inauguratione accipiam.

Candidatis non modò Theologiæ, sed & Iurisprudentiæ, Medicinæ, & Philosophiæ proponuntur varia capita, in quæ, tacto digitis Academico sceptro, iurare iubentur. De quibus meritò perconteris num rectæ rationi ac æquitati consonent. Nam, vt quædam sint leuia, & obseruatu facilia: alia tamen satis videntur grauia, & obseruatu difficilia. Facilè forsan est, Professoribus eius Collegij, à quo lauream accepisti; honorem & reuerentiam exhibere; & commodis Facultatis, ad quodcunque vitæ genus perueneris, fauere, ac benè velle: at arduum est, si neutrum horum feceris, periurij crimine obstringi, & in mortiferum peccatum incurrere. Facile est, vltra tria millia Turonensium in Doctorali solennitate non expendere: at difficile est, si hanc summam à Pontifice præfinitam transcendas, lethali scelere inquinari. Difficile item est, ipsis graduum Academicorũ collatoribus & distributoribus, si hoc iura-

 mentum

mentum à Candidatis non exigant, per ſex menſes à collatione Magiſterij ſuſpendi, etiamſi Pontificali dignitate præfulgeant: hoc eſt, licet ſint Epiſcopi, vel Archiepiſcopi.

Quàm item graue illud, cùm Licentiæ Candidatus iurat, caput ſuum Doctorali corona cinctum non iri, niſi illa in Academia, à qua Licentiam ſupremæ in Theologia laureæ capeſſendæ accepit. Quid aget, ſi nulla vnquam ad illam Academiam regrediendi occaſio offeratur? Quid, ſi centum, ducentis, & pluribus milliaribus diſtet? Quid, ſi nec vires, nec impenſæ ad tantum iter emetiendum ſuppetant? Num propterea periurus erit; ſi alia in Academia Doctorem ſe creari patiatur: præcipuè, quando offertur conditio, vel beneficium Eccleſiaſticum, cuius abſque Doctoratu non ſit capax? quodque interea præteruolet, ſi iam demùm nuncium expedire, & ab Academia longiſſimè diſſita iuramenti relaxationem poſtulare velis.

Illud item non caret difficultate, gradum, quo ſemel donatus es, in alia Academia non reſumere. Quarundam enim Academiarum, forſan & Eccleſiarum, hæc eſt conſuetudo, vt neminem ad functionem ſcholaſticam, vel Eccleſiaſticam admittant; niſi certis in Academiis ad Magiſterij, vel Doctoratus gradum promotus fuerit. Quo caſu, an periurus erit, qui Magiſterium, vel Doctoratum reſumet, vt Eccleſiæ, & Reipublicæ operam nauare queat?

Denique iuratur à Docturæ Candidato certa ætas. Quid opus hoc iuramento? An ætas Doctorem, vel aptum ad lauream Doctoralem efficit? Longè liberaliores ſunt Baldus, & alij Doctores Iuris, qui concedunt, aliquem ANNO XVII. ætatis creari poſſe Doctorem. Et Angelus de Peruſio, anno ætatis 23. accepit gradum, & cœpit publicè Iuriſprudentiam profiteri: & frater eius Baldus anno 17. ætatis ſuæ repetiit Legem; *Centum Capua, ff. de eo, quod certo loco dari oportet*: Et Bartholus anno 21. ætatis Doctorali dignitate inſignitus eſt. Et nos Theologi vſque ad annum trigeſimum, hoc eſt, propemodum vſque ad canitiem exſpectare cogimur: & niſi nobiſcum diſpenſetur, propter horum, & ſimilium tranſgreſſionem, mortali flagitio nos contaminabimus, hoc eſt, ad inferos amandabimur?

Hæc dixerim, non, vt aſſertor; ſed vt veritatis indagator, quam, vt ſpero, tu R. P. *Chriſtophore Stebori*, Collegij Philoſophici Decane ſpectabilis, tua eruditione in lucem promes, totique auditorio ſpectandam propones: illudque potiſſimum declaratum dabis, num

bis, num mortaliter peccet, qui, quomodocunque Academicum iuramentum violat.

RESPONSIO.

R. P. Christophori Steborij Societ. IESV, Philosophiæ Professoris, & facultatis philosophicæ Decani.

AD

QVÆSTIONEM DE IVRAMENTIS ACADEMICIS.

Reuerende, Nobilis, & Clarissime Domine Doctor, supremam Doctoreæ dignitatis lauream recens tuo capiti à Regina scientiarum Theologia impositam, ex animo tibi gratulor, precorque, & opto amplissimi istius honoris tui ornamenta, & titulos eruditioni tuæ, ac virtuti pridem debitos in diuini Numinis gloriam, Ecclesiæ orthodoxæ, ac gentis tuæ emolumentum feliciter euenire.

Quod verò tuum super Academicorum iuramentorum obligatione, & æquitate iudicium taces, meum expetis, præbes tu quidem *Reuerende & Clarissime Doctor*, animi submissi, & modestiæ tuæ luculentum indicium, meis autem humeris onus iniicis permolestū, quibus magnopere vereor, ne subeo, in hac nobilissima doctissimorum hominum frequentia succumbant. Verùm, ne lætissimum, & faustissimum honoribus tuis diem istum mea trepidatione obnubilem, accedo ad positæ quæstionis elucidationem, & dico: à nemine meritò dubitari posse, quin iuramenta, quæ ab honorum Academicorum Candidatis pro veteri, & laudabili omnium Academiarum consuetudine exiguntur, æquissima sint. Quid enim, vt tuo progrediar ordine, æquiùs, quàm vt Academia, & Facultas à Candidato suo, quem tantis honoribus cumulat, reuerentiam, obseruantiam, & amorem antidoti loco postulet? Quid rationi magis consentaneum esse potest, quàm vt discipulus suos Doctores, Magistros, & Promotores ad Academicos titulos, veneretur, & colat? Atque vt alia, quæ ex Gentilium, & nostrorum scriptis produci in medium possent, silentio prætercam, mira sunt, quæ de discipulorum apud Iudæos in Rabbinos suos obseruantia, & reuerentia literis consignata legimus: mira profectò sunt, & quæ ruborem Christianis incutere possunt. Gnome est apud illos: *Qui Mechebero*, id est, *à socio suo caput vnum, aut lectionem vnam, aut versum vnum, aut verbum vnum discit, tenetur illi honorem deferre.* Quantò magis ergò illis honor est habendus, à quibus integras scientias haurimus, earumq;

insignia

insignia & stemmata accipimus? Eorundem Hebræorum hæc item sunt monita, quæ ad maiorem fidem verbatim ferè refero. *I. Domus tua sit domus, in qua congregentur sacerdotes. II. Teipsum pulueriza in pedum illorum puluere; seu fac, vt ad eorum pedes, ac vestigia totus adhærescas, etiamsi puluere illa inquinata sint, tuq́; similiter inquineris. III. Eorundem verba bibe cum siti*; cupidè scilicet, ac studiosè. IV. Audiebant discipuli Magistros magno silentio, sic, vt in schola ne sternutanti quidem salus optaretur. V. Ad Magistrorum pedes ferè sedebant: exemplo est Doctor gentium S. Paulus, secus pedes Gamalielis eruditus iuxta veritatem paternæ legis Actuum 22. VI. Aliqui etiam in pauimento proiecti legebant. VII. Siquando coram Rabbino stabant, longius ab eo, reuerentiæ causa, stabant. *Assurgendum*, inquiunt Thalmudici, *Magistro quàm longè videri potest. Qui coram Magistro suo non stat, impius vocatur, & vitam suam curtat, & Thalmudis obliuiscitur.*

Tandem, si quid scitu dignum, quod à præceptore accepissent, postea alicubi recitarent: ad huius auctoritatem cum honorifica nominis præfatione, id libenter referebant: laudaturq́; ille discipulus, qui suum Præceptorem *sapientem facit*; *qui bonam eius famam tuetur, ac firmat: qui dicit aliquid in illius, qui ipsi quandoque dixit; En didicisti, nomine: Quicunque dixerit aliquid in eius, qui hoc dixit, seu olim docuit, nomine, is in mundum redemptionem adducit*: quia scilicet quidam quasi mundi redemptor est, & à pessimo ingratitudinis malo saluator & vindex. Vocant eum *Epicurum*, qui dicit; Magistri; non autem, Magistri nostri: *& talis nunquam habebit partem in futuro seculo.* Alij eum vocant *Epicurum*, qui ante Magistrum sedet; vel, si Magistrum citat, eum simpliciter citat, cùm dicere debeat: Hoc, & illud dicit *Dominus meus*: vel denique ipsum proprio nomine suo solo appellat. Ista monent Hebræi. Sed accipite etiam horrendum illud, quod B. Hieronymus in S. Hilarione de Adriano quodam refert: qui, cùm Magistrum suum despiceret, morbo regio correptus miserè interiit. Atque ex his eorum ingratitudinem æstimate, qui infrunito, & irreuerenti sunt ergâ Magistros suos, & Promotores animo.

Sequitur alterum caput in quod iurari solet à Candidatis, sanctio videlicet Clementinæ tertiæ de Magistris, ne vltra tria millia Turonensium in Doctoratu recipiendo insumatur. Imò Benedictus XII. Religiosis magistralia insignia capessentibus tantùm non concedit; sed iis peculiari constitutione vetuit, ne vltra duo millia

Turonensi-

Turonensium argenteorum expenderent. Æquissima constitutio. quia immodicos sumptus, & impensas nimium magnas prohibet: & obseruatu est facillima: quando plerique ita ferè natura comparati sunt, vt cùm nummi sunt expendendi, quàm diligentissimè meminerint illorum axiomatum: *Entia nolunt malè disponi, frustra multiplicantur entia; quod potest fieri per pauciora, non debet fieri per plura*. Nec video vllam difficultatē in pœna vitanda, quæ decreta est illis, qui iuramentum hoc à candidatis non exigunt.

At difficile seruatu est, quod ante Licentiam iuratur, vt Doctoralis gradus alibi non suscipiatur, quàm eo in loco, in quo quis Licentiam accepit: Fateor equidem. Sed num ideo etiam iniquum? Minimè gentium. quid enim magis cum æquitate coniunctum, quàm vt illa Academia, illa Facultas, quæ prima tibi ad Doctoream lauream aditum patefecit, eandem ad coronidem vsque perficiat? sed obstat, inquis, impedimentum. Pete ab Academia iuratæ obligationis remissionem. At nimis serum est. Tarditati tuæ illud imputa, non iuramenti iniquitati. Cur tam diu distulisti? Illud certum: nullum vnquam virum grauem, cui honor DEI, animæque salus curæ est, contra hoc suum iuramentum facturum.

Iam verò quod ad iuramentum de gradibus non repetendis attinet; quis non videt, æquissimo iure illud à Candidatis exigi? nam gradum semel susceptum alicubi iterare, aliud non est, quam Academiæ illius, à qua quis promotus erat, iura, priuilegiaq; conuellere. Etenim dum honoris suscepti insignia alibi recipiuntur, tacitè illa, imò expreſsè etiam insimulatur, tanquam potestate huiusmodi insignia largiendi careat, idq; quod agit, contra ius, fasque agat.

Accedit etiam illud, quod huiusmodi iuramento occurritur inuidiæ, & odii flammæ: qua interdum antiquiores Academiæ aduersus recentiores flagrant: cùm illas pro legitimis Academiis agnoscere, Magistrosque, & Doctores earum pro veris, & genuinis Doctoribus recipere abnuunt. Quin etiam contingere solet, vt eiusmodi gradus in contemptum, & veræ religionis detestationem resumantur. Qua causa impulsus Petrus Martyr. Oxonii in Anglia Caluiniano ritu Doctor creari denuo voluit, licet iam olim Doctor in Italia creatus esset, cùm Catholicam fidem, & monasticam vitam adhuc profiteretur. Ita non satis erat infami, & infelici pseudomartyri triplicis voti vincula fœdè fregiſſe, & fidei auitæ iusiurandum toties repetitum impiè violaſſe, nisi etiam Academici iu-

ramenti

ramenti transgressor periurus fieret: iuxta illud Apocalypsis; *qui in sordibus est, sordescat adhuc.*

Apocalyp. 21.

Iuratur etiam à Theologiæ Licentiatis triginta annorum ætas: Et rectissimè. nam, quidquid sit de aliarum Facultatum Doctoribus, certè grandior & grauior ætas Theologiæ Doctorem cum primis decet: tum propter diuinissimæ scientiæ dignitatem; tum propter officij, & muneris amplitudinem. Credo sapientissimos Maiores nostros causam huius iuramenti desumpsisse ab exemplo Christi Domini, qui, licet ab æterno Patre, iustitiæ nobis Doctor datus, & designatus esset; ipse tamen ante trigesimum ætatis annum, tantum munus noluit exercere.

Nimis longus essem, si omnium iuramentorum æquitatem sigillatim explicandam susciperem. Verbo dico: nisi omnia, & singula iustissima essent, nunquam ea à totius orbis Catholici celeberrimis Academiis in mores recepta fuissent.

Ad extremum, quod maximè quæritur; Vtrum omnis violatio deliberata alicuius iuramenti Academici, quod ante inaugurationem à Candidatis ad sceptrum Academicum, vel manum Magnifici Rectoris fieri solet, lethale crimen sit, respondeo affirmatè: & probo responsum. quia, omne iuramentum promissorium legitimè factum in fauorem alterius, obligat sub lethali peccato promittentem; nisi alter, in cuius fauorem iuratur, relaxet, aut condonet obligationem: Atqui ista iuramenta Academica eiusmodi sunt, vt ex formula eorum liquet: Igitur dubitari nulla ratione debet; quin eorum transgressio sit lethale peccatum; & quidem infame periurij crimen; quod non pauci, nec ignobiles Doctores ipso homicidio grauius esse affirmant. Et quemadmodum, si quis eò impietatis deuolueretur, vt DEVM Opt. Max. non vereretur furti alicuius perpetrandi, vel homicidij socium, & auxiliatorem implorare; atroci ipsum iniuria, se verò immani blasphemiæ scelere obstringeret: eò quod affectu suo, quantum in se est, DEVM furti auctorem, vel homicidam efficere anniteretur: ita nec minorem DEO iniuriam, nec leuiorem animæ suæ noxam inferre censendus est; qui iuramentum violando, quantum in se est, DEVM falsi testem, & mendacij architectum constituit. Nam iuramento quidpiam promittere aliud non est, quàm inuocare DEVM testem, & quod animum habeas faciendi, quod promittis, &, quod re ipsa, quod promisisti, facturus sis, cùm poteris, & opus erit: quorum si vel alterum, vel vtrumque abest, DEVS mendacij; & falsitatis attestator efficitur.

Scio, non neminem, qui violatum iuramentum in re leui tantum veniale peccatum autumat: sed, non ita esse videtur. Neque enim iuramentum in materiæ quantitatem fertur; sed, rei iuratæ veritatem respicit. Veritas autem in ordine ad diuinum testimonium eiusdem rationis est: atque perinde iniuriosum, & blasphemum Deo est, in re parua, atque in maxima falsum testari, & mendacem esse.

Neque tamen ex dictis colligas lethali crimini subiacere eum, qui, cùm mille aureos promiserit, in solutione obolum omitteret. Censetur enim is, cui promissio facta est, ita paruam rem non curare, & oboli obligationem remittere. Estque ea promissorij iuramenti conditio, vt obligare cesset, cùm alter, in cuius fauorem emissum est, tacitè, vel expressè condonat, & remittit obligationem: quod tamen vniuersim de Academicis iuramentis nemo prudens iudicabit, aut asseret. Nisi enim Academia sua sibi promissa à Candidatis iuramento obfirmata vellet præstari, frustra certè his tam conceptis verbis eos ad iusiurandum impelleret: *QVILIBET ad manum Magnifici Rectoris dicat; Ego iuro. Quilibet ad sceptrum dicat; iuro.* Conclusum igitur esto, id, quod spiritus sanctus pridem docuit: Ecclesiastici 23: *Vir multum iurans, implebitur iniquitate: & non discedet à domo illius plaga: Et, si frustrauerit; delictum illius super ipsum erit: &, si dissimulauerit, delinquit dupliciter: &, si in vacuum iurauerit, non iustificabitur: replebitur enim retributione domus illius.*

GRATIÆ.

II, qui gratias non agunt pro beneficiis, magno Persarū Regi Artaxerxi, *humanitatis in se iura violare videntur.* *Nec contenti sunt*, inquit, *gratias non agere beneficiis, & humanitatis in se iura violare.* Proinde, vt *Esther. 16.* humanitatis huic iuri pro tot beneficiis receptis, morem geramus: Tibi cum primis Devs Ter Opt. Max. gratias referimus pro tot gratiis: quas nisi in dies, vel potius in momenta ministrasses, ad hoc studiorum meorum columen nunquam peruenissem: da porrò hanc vnam, sed magnam, necessariamque gratiam, vt labores de hinc mei, & vita consequens, in tuam maiorem gloriam, & Ecclesiæ tuæ Catholicæ vsum cedant & succedant. Vobis deinde, D. Virgo Deipara extra ordinem, aliisque Beatis Cælitibus, pro multo vestro præsidio, & subsidio, quæ passim expertus sum, &, vti

ſpero, dehinc experiar gratum animum defero, atque offero, votiſque omnibus expeto, & recipio, vt veſtram de hinc hyperduliam, & duliam contra hæreſeon latratus tuear, & profligem pro viribus.

Sed quas reponam gratias tibi Reuerende, & Magnifice Dñe Rector, cæteriq; de facultate Theologica vel Profeſſores, vel Præceptores mei colendiſſimi, & cum primis tibi *R. P. GRETSERE*, Decane ſpectabilis & Promotor exoptatiſſime: quas, inquam, pro tot veſtris in me, quanquam immerentem, meritis redhibeam gratias: Id vnum conſilium ſuppetit, vt hæc veſtra tot, & ampla beneficia, imo pectori altius inſcribam & cælem: vt, quantumuis abſentis, vbi vbi occaſio aliqua fuerit, gratus in vos animus, vt præſentes, [illegible]ũpat.

Deniq; R. Reuerendis, & Clariſſ. DD. facultatis cuiuſuis, & Academiæ huius Patribus, luminibus, & Profeſſoribus; dein Illuſtriſſimo Marchioni, aliis etiam Illuſtribus & Generoſis Comitibus, & Baronibus; cæteris etiam nobilitate, virtute, doctrina conſpicuis auditoribus pro præſentia, beneuolentia, & attentione ſumma, ſummas etiam grates referimus.

FINIS.